DISSERTATIVNCVLA
DE SENTENTIA
PAULINA
Rom. 7. à comm. 14.

In quâ oſtenditur Paulum de ſe loqui regenito, non autem in perſonâ hominis nondum regeniti.

Tully

OXON.
Typis *L. Lichfield*, Acad. Typog. Proſtant venales apud *Fran. Oxlad* ſen. M. DC. LXXIV.

CAMBRIDGE
UNIVERSITY
LIBRARY

410:07

QUANDOQUIDE meò confidentiæ processerit Author Harmoniæ, ut sententiam quæ Paulum astruit de se loqui *Rom. 7.* à comm. 14. non modò sibi minùs placere (æquiùs ferendum hoc esset) verùm etiam *gravibus incommodis* (parum & hoc est) quin & *absurditatibus*, iisque planè *palpabilibus* laborare pronuntiaverit, visum est cum breviusculo tantæ παῤῥησίας examine opus hoc nostrum in præsentiâ claudere; idque præcipuè, quòd ad Fidelium solamen permagni referre censeam.

Harmon. Apostol. Dissert. poster. c. 9 9. 7.

Primùm autem, utinam seriò secum ante perpendisset (si tamen, quod puto, novit) in *quot* & *quanta* nomina gravis hujus invidiæ procella præceps decidat. Quid enim si unum forte aut alterum Theologum *neoterieum* (quanquam & eximium)

eximium) nonnullos etiam ex Veteribus, ſibi ſuffragantes habeat? An ergo tot reliquos (*doctrinâ, judicio, pietate* pares ſaltem) eâ ſtatim cranii teneritudine affectos ſequetur, ut *abſurditatibus planè palpabilibus laborent?* Bona verba quæſo, quique *induit loricam, ne glorietur ut is qui exuit.*

Inter harum ſcilicet abſurditatum patronos poſt excitatam à Pelagio curam & ἀγχίνοιαν omnes 1° reperiri Patres, & potiſſimùm Latinos (adjuncto etiam Hilario ante Pelagium) valde ſuſpicor. Ipſe quidem Pelagius (haud optimæ in Eccleſiâ Dei memoriæ) ab iſtis ſibi admodum cavit *abſurdis*, quippe qui, referente * Auguſtino, falſò ſcripſit, *omnes Eccleſiaſticos Viros aſſèrere, Paulum hæc in Peccatoris, & ſub lege adhuc poſiti, perſonâ dixiſſe.* Hoc autem mordicùs tueri Iſtius *Gratiæ contemptoris* maximè interfuit, quo magnæ ſuæ *liberi arbitrii DIANÆ* meliùs proſpiceret. Is enim (quod paſſim ex Auguſtino liquet) aſſeruit, ad perfectè implenda Dei præcepta ſufficere *Voluntatem* humanam adjutam ſolummodò lege; proin valdè commodum ei futurum vidit, ut hoc cum hujuſmodi dictis iſto capite circumfuſis, *Quod volo non ago, ſed quod nolo, &c.* à viro ſanctiſſimo ad alium aliquem trajiceret. Valde, aio, *commodum*, non ſimpliciter *neceſſarium*; cum etiamſi de homine irregenito intelligatur Paulus, Hæreſi Pelagianæ id quoque prorſus adverſetur. Nam utrobique claris convellitur inſtantiis, voluntatem ad bonum perficiendum non ſemper *ſufficere*: ſive enim dicat Paulus regenitus,

* *De Gratiâ Chriſti. c. 39.*

genitus, ſive alius, *Quod volo bonum non ago*, palàm eſt corruere Pelagii ſententiam. Interim verò haud ita tardum hebetémque fuiſſe Hæreſiarcham judicemus, ut quanto gravius ei periculum à diverſâ interpretatione immineret, minimè proſpiceret. Dato enim, quod neque Paulus ipſe, quod *vel maximè* voluit, bonum perfecit, Paulus, inquam, non lege modò, ſed Evangelio, ſed Gratiâ, eâque *ſingulari* munitus; quanto hoc minus ab homine nondum *renato*, vitiis immerſo, ſperandum fuerit, nemo non videt. Hinc etiam commoniti Patres, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, aliique, re meliùs expenſâ, hoc quoque erroris Pugili detraxere ſcutum.

Quod dicimus, in Hieronymo & Auguſtino manifeſtum dabimus, quorum uterque in hoc negotio idem olim cum Pelagio ſenſêrunt, ſed cavillis ejus pleniùs expergefacti, (ſalvâ tantis nominibus reverentiâ) ſententiam piè mutârunt: ſiquidem Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam qu. 8. comment in *Dan.* 3. & *Habac.* 1. Paulum eò loci *perſonam* induiſſe palam aſſerit; ubi verò cum Pelagianâ colluvie in acutis iſtis Dialogis conſerendæ manus, ſtylum vertit. Quippe dicta iſta Paulina *Rom.* 7. contra Pelagianos in aciem educens, ita excipitur à Critobulo, *Miror te hominem prudentem ſic intelligere Apoſtolum, ut eum ex perſonâ ſuâ, & non ex aliorſum dicere ſentias*; quod ille tamen in Reſponſo, ut rectè dictum, tuetur. Idem de Auguſtino abundè conſtat, qui quidem in prioribus ſcriptis de Paulo *non ipſo*, ſed

Contra Pelagian. l. 2. haud procul ab initio.

ſed *perſonam agente veteris hominis & ſub lege conſtituti, in quo peccatum regnaret*, iſta interpretatus eſt. Re tamen accuratiùs exploratâ (non *ex calore* aut *irâ* in Pelagium, uti viſum eſt viro cuidam Cl. duriùs interpretari mitiſſimum ſanctiſſimúmque Patrem) in veriorem retro cedit ſententiam, idque multis in locis. Nos unum ſolummodò excerpimus, ad rem maximè pertinentem, contra Julian. *lib. 6. cap.* 11. his verbis. *Non enim ego* ſolus *aut* primus *intellexi iſtum locum, quo evertitur hæreſis veſtra, quemadmodùm verè intelligendus eſt, imò verò ego priùs aliter intellexeram, vel potiùs non intellexeram, quod mea illius temporis etiam ſcripta teſtantur. Non enim mihi videbatur Apoſtolus & de ſeipſo etiam dicere potuiſſe*, Ego autem carnalis ſum, *cùm eſſet ſpiritalis, & quod* Captivus *duceretur ſub lege peccati, quæ in membris erat ejus.* Et mox, *ſed poſtea melioribus & intelligentioribus ceſſi, vel potiùs* (*quod fatendum eſt*) Veritati, *ut viderem in illis vocibus* gemitum *eſſe ſanctorum contra carnales concupiſcentias* dimicantium. Et continuò fere, *Hinc factum eſt ut iſta ſic intelligerem quemadmodum intellexit* Hilarius, Gregorius, (Nazianzenum loquitur) & cæteri Eccleſiæ Sancti notíque Doctores. Verba, quæ optimi Patris modeſtiam ſingularem cum pari pietate & Veritatis obſervantiâ conjunctam (raro, proh dolor, exemplo) tota ſpirant, exprimúntque. Idem breviùs, *Retract.* l. 1. c. 23. & l. 2. c. 1.

Quæſt. 1ª. *ad Simplician. lib.* 81. *qu.* 66.

Originem, Chryſoſtomum, Theodoretum, aliósque

ósque patres Orientales quod attinet, palam est de *Origene* quòd multò antè diem obierit, quàm pestis illa Pelagiana terras invaderet. Fato cessit *Chrysostomus*, sub ann. Christ. 410, viginti ampliùs annis ante mortuum *Augustinum*, quem constat senem scripsisse contra *Pelagium*: nec dum è latibulis suis prorepserat iste vulpes, nisi venerando Patre exulante, & post biennium defuncto, uti ex *Baron.* habemus ad Ann. 405. 407. *Theodoretus* quidem triginta annis, & ampliùs, supervixit *Augustino*, Vir sanctus, & in Scripturarum lectione probè versatus. Cur non objiciam cùm *Greg.* de Valentiâ censuram, quâ in Concilio Oecumenico Ephesino notatum legimus, sed illi tantùm opponam dissentientium *multo plures*, quod ex ipso quoque *Augustino* jam audivimus, *Cæteros* scilicet *Ecclesiæ sanctos, notósque Doctores.*

De Transsubst. c. 8. p. 390.

Inter Pontificios, qui Thomam sequuntur, cum eo indubiè ab Augustino stabunt, Sic enim ille; *Dicendum, quòd sicut Augustinus dicit in Retract. Apostolus loquitur ibi de homine jam redempto, qui liberatus est à culpâ.* Locus, quem intelligit *Rom.* 7. 27. Cum illo quoque faciunt haud pauci ex Modernis, itemque Jesuitis in loc. *Salmero, Pererius, Corn. à Lap.* (quique, cùm talis sit, utinam noster esset) *Estius* Duaci Professor,

Aquin. 1 2. q. 83. 1. 1m. *quamvis autem in Rom. 7. 14 dicat, verba,* Ego sum Carnalis, *utroque modo exponi, profert tamen sententiam quæ homini tribuit regenito. Versus autem 17. & 18. negat de alio posse intelligi, nisi extortè. Ita ut frustra sit Jac. Arminius, dum huc illuc se versat, quo mentem* Thomæ *perturbet; quod & ipse sensit, prout ide contra Doctorem Ipsum* disputare *maluerit, in Rom. 7. part. 2. p. 117.*

cum

cum multis aliis. Imò valdè mirari ſubit quemvis Pontificium à tempore *Concil. Trident.* aliter ſentire, nedum quæ ſentit proloqui audere (quod facit inter alios aliquos Cardinalis *Toletus*) & quomodò cum lepidiſſimâ *Infallibilitatis comœdiâ* quadrabit. Catechiſmus enim Rom. Decreto illius Concilii, & Pii quinti juſſu editus, Liber in quâ Schola loquitur Apoſtolica, & poſt Sacras Script. opus manibus maximè volvendum, uti monet *Andr. Fabric. Leodius* in Epiſt. nuncup. ei præfixâ; is, inquam, Catechiſmus Paulum ibi de ſe loqui διαφόρως aſtruit, part. 4. c. 12. in Oration. Domin. petit. 4. Ubi ad hoc quæſitum, *Etiámne juſtificatis, qui jam Deo parent, uſurpanda fuerit hæc precatio*, inter multa alia notatu haud indigna, ſic reſpondet, quippe cùm eorum, qui juſtificati ſunt, *mentem* ſanet Dei gratia, non etiam *carnem*, de quâ ſcripſit Apoſtolus, *ſcio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne meâ, bonum*, &c. ſecuri profectò ſumus ab Eccleſiâ Romanâ: nam de *Apoſtolo* & *regenito* loqui conſtat, cùm de tali, non alio, inſtituatur quæſtio, & ad talem diſertè accommodatur reſponſum.

Scriptores ſi conſulantur Reformati, vetuſtiores plerique omnes in eandem nobiſcum ſententiam pedibus eunt. Neque enim Bucerus, qui contrà nos à viro Cl. objicitur, de homine prorſus irregenito Paulum intelligit, ſed potiùs de *recens* converſo, & cupiditatibus nondum probè ſubactis; quod monuit etiam Rivetus in Apol. P. 253.

Jacobus

Jacobus quidem Arminius à partibus ſtat contrariis; quas & acriter defendit, pro eo quo pollebat acumine. Quòd ſi *cauſa* juſta haud fuerit, parùm cotidiè videmus valere *acumen*; *nil enim poſſumus adverſus VERITATEM.* Ad Rom. 7.

Sed an tacet Eccleſia Anglicana? Audiamus Artic. 9. *Peccatum originis non eſt, ut fabulantur Pelagiani, in imitatione Adami ſitum, ſed eſt vitium & depravatio* naturæ cujuſlibet hominis *ex Adamo naturaliter propagati, quâ fit ut ab originali juſtitiâ longiſſimè diſcedat, & caro ſemper adverſus Spiritum concupiſcat, unde in unoquoque naſcentium iram Dei, atque damnationem meretur. Manet etiam in Renatis hæc naturæ depravatio, quâ fit ut affectus carnis, quem alii φρονημα σαρκὸς, &c. interpretantur, legi Dei non ſubjiciatur. Et quanquam Renatis & credentibus nulla propter Chriſtum eſt condemnatio*, peccati *tamen* rationem *in ſe habere dicit Apoſtolus.* Totum fere Articulum dedi, cùm ſequentia ex Antecedentibus omnino pendeant.

Quatuor hîc evidentiſſimè vult Art.

1° Peccatum Originis depravationem eſſe *naturæ* ab Adamo propagatæ cujuſlibet hominis.

2° Per hanc depravationem hominem ab *originali juſtitiâ* quàm longiſſimè diſtare, ad malum ſuâ *naturâ* propendere, *carnem adverſus ſpiritum ſemper concupiſcere*, &c.

3° Ipſammet hanc depravationem manere in *Renatis.*

4° Hoc fateri Apoſtolum, intelligens *Paulum*. Ad locum ſanè (*Caput* ſcilicet & comma) non expreſsè dirigit, quod neque in ullo alio Articulo facit. At ubi, quæſo, potiùs quæremus, quàm in hoc ipſo cap. 7. ad Rom. ubi *ſepties* ſaltem depravatio iſta originalis *peccatum* nuncupatur? Nam quòd ibi de peccato *actuali* non agat Apoſt. res manifeſtior eſt, quàm ut prolixâ probatione indigeat;

1° ſiquidem eſt peccatum, *quod omne genus concupiſcentiæ operatur*, verſ. 8. hoc autem peccato *actuali* tribuere perabſurdum foret, cùm concupiſcentiæ ſit peccatum *actuale* operari, non hujus illam, ea ſemper antecedat, hæc ſequatur.

2° eſt peccatum *inhabitans*, v. 17, 20. quod ibidem peccato actuali tribuere nulla ſuſtinebit ratio; illud enim cùm ſit *actio* aliqua, aut ſaltem voluntaria actionis omiſſio, naturæ *tranſeuntis*, non *inhabitantis* eſſe, perſpicuum eſt. At peccatum hoc Originis in renatis etiam, adeóque in *ſe ipſo*, manere fatetur Paulus, ſi fides Eccleſiæ; itaque ſecundum illius mentem, Paulus ibi *de ſe, ut regenito*, loquitur, non de alio, non de ſe *nondum renato*. Si quis autem ad aliam Pauli aut Epiſtolam aut Caput reſpexiſſe Eccleſiam contendat, fruſtra erit; nullum enim reperiet ſenſum Art. uſque adeò ſpirantem, ubi nimirum aſſerit quòd depravatio iſta *ex ſe peccati naturam* habeat: aſt eo capite *ſepties* ſaltem (uti diximus) *peccatum* appellatur. Quod enim eòdem Art. citentur Verba Epiſt. ad Gal. c. 5. v. 17. ſi

totus

totus iſte verſiculus perlegatur, ejuſdem omnino ſententiæ nemo non deprehendet cum cap. 7. Epiſt. ad Rom. v. 19. nam priore loco ſic dicit, *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & hic adverſus illam, ita ut non poſſitis facere quæ vultis*; poſteriore, *Bonum, quod volo, non facio, ſed malum, quod nolo, facio*; quis non accuratum hîc videt *paralleliſmum?* perinde eſt igitur, utrum hic an ille ſumatur locus, conſtat de Eccleſiæ ſenſu; quòd ſcilicet peccatum iſtud quo homo *ſuapte naturâ propendet ad malum, quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, maneat in regenitis, conſequenter autem in Paulo; unde demum liquidò efficitur ex mente Articuli, Apoſtolo nihil opus fuiſſe in iſto cap. 7. ad Rom. aliam quàm ſuam Ipſius, ſuam *regeniti* perſonam induere.

Nunc autem qui & quales ſint quorum *abſurditatibus planè palpabilibus laboret* ſententia, plus ſatis conſtare puto, quamque periculoſum ſit ut in re magnâ *triumphos* quis agat prius quàm exercitum conſcripſerit ſimul & luſtraverit.

Expendamus interim quid tali cenſurâ dignum protulit Harmoniæ Author. Et 1° inquit *ſupponit Apoſtolum ſermonem hîc interſerere prorſus plane ἀνυπόδικον*, &c.

Hoc autem ἀνυπόδικον exinde colligit, quod *omnino abſurdum atque abhorrens eſt Apoſtolum objectionibus ex legis inefficacitate in iis qui gratiâ Evangelii carent, deſcriptione & repreſentatione ſtatus ſui ſub Evangelio reſpondere.* Omninò abſurdum atque abhorrens! Audimus. ſed parcatur

quæso stimulis. Imo nonne potius absurdissimum est (coactus loquor) valdè *juvenem*, uti loquitur Ipse (cum ista scripserit) somniare veteranis tot Theologis (ut taceam Ecclesiæ Anglic. judicium) *perspectum nihil de scopo Apostoli?* aut si fuerit, *magni* talem fecisse objectiunculam? Qui, quæso, potuit Apostolus Homines ἐγκαυχᾶσθαι (licet omnis veræ pietatis expertes) ad Evangelii gratiam & Justitiam efficaciùs invitare, quàm suo Ipsius exemplo? Qui cum Ipse olim sub lege fuerat, nihil profecit, donec in Gratiam Evangelii per Fidem reciperetur. Hoccine tam absurdum, ut quis alium ferreis catenis vinctum, & in carrere squalidum, ad ambiendam libertatem proposito servitutis horrore, Libertatis dulcedine, excitaret? Quod autem de statu *militiæ* suæ contra carnem annectitur, cum *certâ* tamen spe *victoriæ*, id magis facit ad pugnam strenuè subeundam, cum quod *inefficax* legis rigor non potuit, potest *efficacissima* Evangelii gratia.

P. 184. Quod verò mox quærit, quænam idonea ratio vel fingi potest, cur statuamus eum in v. 14, & 15. mutare institutum (i. e. cum de Se ut *regenito* ibi loqueretur) Respondurus erat Paulus, uti ait, *ad istam object. v.* 13. *rem esse miram, ut lex ea quæ sancta & bona est causa mortis cuiquam esse possit? & ad eam objectionem dissolvendam quid inquit faciunt versus sequentes?* Quam facilè pronuntiat præjudicata temeritas! quas tenebras in Sudo facit? Nonne ipso eodem commate 13. nodum exhibet eundem & plenè solvit, ostendens

dens mortem non esse filiam *Legis*, sed *Peccati*? Sed verba, inquit, versus 14. *manifestam antedictorum rationem continent, ut ex causativâ partic. γὰρ liquet*, & hoc ni detur, *sermonis Apostolici seriem arenam sine calce reperies.* Moniti igitur caveamus, & quod vult totum maturè demus, quò saltem Apostoli Ipsius periclitanti famæ consulamus.

Nec magni res est negocii. Quid enim clariùs quam Apostolum in toto sermone ab initio Epistolæ ad fin. cap. 7. id unum, (aut in primis) agere, ut Peccatores à se ad Christum abducat, à suâ operum Justitiâ, ad illam quæ est per fidem in Christo? Quod ut fælicius expediret, ostendit 1° Legis eum esse *rigorem*, ut nulla ad salutem admittat opera, quibus vel *minima* peccati labes adhæret; frustra itaque ex Lege sperari vitam. 2° Eam quoque vim Legis esse *lethalem*, non quidem ex naturâ suâ, sed ex vitio omnibus innato, ut detegendo peccatum magis exulceret, & ad rebellionem stimulet. Hoc hujus Capitis negocium. Quærit itaque v. 13. *Num quod bonum* (Legem intelligit) *factum est mihi lethiferum? absit; sed peccatum quo appareret esse peccatum*, &c. De quo autem peccato loquitur, nisi *Originali*, & *inhabitante?* v. 17, 20. Hoc vero cum omnibus innascatur & inhabitet tam in Paulo *regenito*, quam in Christum furibundo (etsi eandem in *fidelibus* tyrannidem per gratiam Christi minimè exerceat) quid quæso erit διορθωτὸν, Paulum idem probare *diversis mediis*, quorum alterum à se *nondum*

dum regenito, alterum à regenito uſurpaverit? hac ſolum adhibita diſtinctione, quod nondum converſus *totus* erat Carnalis, *converſus* autem *ex parte tantum*, Carne concupiſcente adverſus Spiritum, & Spiritu adverſus Carnem: ita tamen, ut ſuperior in luctâ Spiritus evadat. Verbo, loquitur Apoſtolus in toto hoc cap. 7°. de Peccato non tantum Fidelibus, ſed toti generis Humani maſſæ adnato, in eâque habitante ab ortu ad ſupremum uſque diem. Unde perperam à quibuſdam citantur veteres, ubi Paulum volunt hominem eo loci *indefinitè* deſcribere, quaſi ſcilicet exinde ſequeretur Paulum regenitum excludi, & quaſi à *ſpecie ad individuum* arguere non liceret. Sive enim à regenito arguatur, ſive non regenito, perinde eſt ad ſolvendam Apoſtoli quæſtionem, v. 13. cum nec unum temporis intercurrit momentum, quo mortalium in hac vita *ſanctiſſimus* vere profiteri cum Paulo nequeat, & debeat *Ego ſum Carnalis*; uti poſtea fuſiùs oſtendetur.

Sic apud Jac. Armin. in Rom. 7. par. 2.

Cur autem Amicus Harmoniſta tranſitum talem ab uno ſtatu ad alterum rem adeo abſurdam pronuntiaret, non video, ni ſeipſum ejuſdem *abſurdi* damnare malit, qui partem priorem iſtius cap. comm. 25. ad Paulum regenitum accomodat, quod æquè abſurdum.

Verba ſunt iſta, *Gratias ago Deo* per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Hæc inquam interpretatur * Ipſe de Paulo *regenito*, etſi totum reliquum antecedens de *irregenito* exponat, mox autem

* *Harman. p. 119.*

autem in eundem irregenitum recidere pronuntiat, iſtis verbis, *Ego igitur mente ſervio Legi Dei, carne autem Legi peccati.* Quænam hîc eſt *cohærentia*, quam à nobis tanto rigore exigit? Imo quam reperiet in verſu proximè ſequenti, c. 8. 1. *nulla igitur eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu?* cum ſecundùm Ipſum nulla talium occurrit mentio in toto cap. præcedenti, niſi tantum in brevi iſta particulâ comm. poſtremi, *Ago gratias Deo*, &c. cum autem nobis objecerit particulam ſuam cauſativam, γὰρ, quid faciet iſtis, c. 8. 1. *δεα νῦν? nulla nunc igitur condemnatio. Nunc igitur?* cur quæſo? unde hoc infertur? non à verbis cap. 7. poſtremis, iſta enim ex illius mente ad hominem ſpectant irregenitum: hoc autem revera *abſurdum, & valde abhorrens* eſſet, ut nullam eſſe *condemnationem Fidelibus* & iis qui ſunt in Chriſto probaret Paulus ex Statu eorum irregenito, qui ſunt *extra* Chriſtum. An itaque *igitur* iſtud referendum cenſet ad ultimi commatis partem ſolummodò priorem [Gratias ago Deo, &c?] at durum eſt ad verba *quatuor* aut *quinque*, quæ caput non claudunt, referri, quod cum toto capite reliquo (eoque ſatis prolixo) commune nil habet, imò neque cum proximè antecedaneis, in quibus idem omnino de ſe Paulus loquitur quod in ſuperioribus, *Ego mente ſervio Legi Dei, carne vero Legi peccati.* Videat nunc Harmoniſta, quo Ipſius præcipitantia ſe duxerit.

Unde

Dissert. poster. c. 9. num. 9. Unde non est quod mox sequentia miremur, ubi dicit, *quod ergo objici solet de mutatione temporis*, v. 14. *adeo leve est, ut meritò pudeat viros graves tali argumento pugnare.* Itane verò? hem! An quenquam pudere debeat tempus *præsens* à præterito separare, maximè, ubi res ipsa postulat? Imo rationis ullam vel umbram ostendat, cur Paulus à præterito ad præsens delaberetur, ubi nihil prorsus ad institutum fecit. Si enim de se *irregenito* sermonem deinceps continuat, quid opus erat, ut tempus mutaret? cur vel semel *Eram* dixit, non semper? Cur à versu 14. nunquam redit ad tempus *præteritum?* Hoc igitur *adeò leve* est, ut nihili facientes suo pondere non premat solum, sed opprimat. Leve videbatur Paulo nondum converso Legis onus, tam grave post sensit, ut sub eo ingemiscat, v. 24. *miser ego homo*, non qui *fueram*, sed qui *sum*, dum in luctâ contra carnem perpetuo versandum videt. Quique se in eadem cum Paulo lucta necessariò per totum vitæ hujus curriculum exercendos haud agnoscunt, non est quod Christianorum nomine ac titulo superbiant.

Vers. 14. Verum, inquit, *non erat conveniens*, ut Paulus diceret, *Lex erat Spiritualis*, sed ego eram *Carnalis.* Ita certè (quod priorem attinet sententiæ clausulam) non conveniebat Paulum *nugatoriè* loqui, cum Lex non *erat* modò, sed semper *sit spiritualis.* Nemo hominum, nisi nugator, dicet, ego *eram* homo. Satis tamen conveniebat Paulum

lum dicere, Ego *ſum* carnalis, quia πῶς & aliquo ſenſu talis ſemper extitit, de quo ſtatim.

Quin ſententia, inquit, contraria ſermonem affingit Apoſtolo non ἀνεγκλήτως modo, ſed & *ſibi ipſi repugnantem*. Abſit. Quî vero? *quoniam*, ſcilicet, *de homine hic deſcripto dicitur*, *Ego ſum carnalis*, v. 14. *at de homine regenito dicitur*, *quod non ſecundum carnem ambulat*, c. 8. 1. quaſi vero *carnalem* eſſe (ſive carnem habere, ſenſu Apoſtolico) & *ſecundum carnem ambulare*, idem ſonarent, quæ δὶς διὰ πασῶν diſſonant: iterum τὸ ἐν ἀρχῇ. Apoſtolus ſecundum carnem minime *ambulavit*, verè tamen dixit, *ego ſum carnalis*. Oſtendam quomodo, adhibita diſtinctione neceſſariâ, eâque ſatis perſpicuâ. *Carnalis* enim dicitur aut interpretatione *Legis*, aut *Evangelii*; priore modo etiam ſanctiſſimus in terris erit *carnalis*, quia quantacunque polleat ſanctitatis gratiâ, minime aſſurgit ad *ſpiritualitatem* (ut ita loquar) *Legis*, quæ peccatum omne procul abigit, & *carnem* pronuntiat. Hoc autem reſpexiſſe Apoſtolum, ubi ſe *carnalem* vocat, ex Textu patet: Lex, inquit, eſt *ſpiritualis*, ego autem ſum *carnalis*. Ubi *carnalitas* iſta (quam ibi loquitur) palam opponitur *ſpiritualitati*, ſive (ut latiniùs dicam) *perfectioni* Legis. Et quotuſquiſque obſecro, ab iſta carnalitate, dum in terris degit, immunem ſe profiteri audeat? Cum Legem illam ſua puritate uſque adeo tremendam intuetur, quis cum ſanctiſſimo Apoſtolo, non ſtatim exclamabit, *Ego ſum carnalis?* At ſenſu *Evangelico* carnales *Verſ.* 14.

 ſunt

sunt qui *secundum carnem* ambulant; *i. e.* qui ejus cupiditatibus faciles obsequuntur. Hoc minimè de se dicit Paulus, hoc nulli faciunt veré Fideles.

Objicitur secundò, de Homine hic descripto dici, quod peccato planè *mancipatus* est, *instar eorum*, qui *venditione toti transeunt in Domini alicujus imperium & potestatem.* Verba sunt πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, venditus sub peccato, similitudine proculdubiò à captivis in *Bello* desumptâ, qui sub jugum missi. Illi autem non sunt *Servi voluntarii*, imò nihil magis quam libertatem seriò meditantur; unde Apostolus ad finem capitis, *quis me liberabit?* Ingemiscit utique vir sanctus sub istâ peccati servitute, quod sensu Evangelico *carnalibus* minimè competere passim Scriptura docet. Sunt enim isti (quoad *intellectum*) ἄκουστοι ignari, 2 Pet. 3. 5. quoad *voluntatem* & affectus, ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, *tradiderunt se ad petrandam omnem impuritatem usque ad nauseam*, Eph. 4. 19. *iniquitatem trahunt funibus plaustralibus*, & alia id genus innumera. An catenam suam ita trahit *captivus*, & *venditus* contra voluntatem? Aliud scilicet est *vendi*, aliud se *vendere*, quod de Achabo dicitur, (quem locum à Dissertatore huc trahi (licet à paucis quoque aliis) mirum est. Reg. 21. 20. nam etsi 70. senes ita verterant, ἐπράθη *venditus est*, qui fontem tamen Hebraicum inspexerit מכר, videbit cum nostrâ versione Anglicanâ consentire [*he sold himself*] quod à viro veritatis studioso minimè clam prætereun-

tereun-

tereundum erat; hoc enim ſapit umbratilis magis *victoriæ*, quam divinæ *veritatis* cubam. Paulus (quod Sancti omnes ad unum alii) *venditus eſt peccato*, nimirum à pravitate nativâ, ſed ipſi *involuntariâ*, quæ ad malum in ſingula fere momenta ſollicitat; venditus eſt, *non ſe vendidit*. Quod autem ex Cap. 6. 18. objicit Fidelem quemque *ſervum eſſe Juſtitiæ*, verum agnoſcimus. Servus enim *voluntarius* eſt Juſtitiæ, *involuntarius* peccati. Apoſtolus vero non dixit ſe ſervum eſſe peccati, ſed *venditum ſub peccato*, idque *ut captivum*, v. 23. nempe non erat ſervus *mercenarius*, aut *ultroneus*, ſed *coactus*, & ſub captivitate ſuâ *gemebundus*, v. 24.

Jam ad *ratiunculas* illas (quas vocat) in contrarium pergamus. Objicere dicit Paræum de *Se* non de alio loqui Apoſtolum, quia continuat querelam de Se in primâ perſonâ per totos duodecim verſus, (hoc eſt, pluſquam *trigeſies*; (exiguus is autem fortaſſe Diſſertatori numerus.) Quid ad iſta vero reſpondetur? *Frigidum ſanè argumentum!* præclarè, & ſuo ſemper more. Sed cavendum eſt ei ne *frigidum* hoc argumentum mox adurat ſibi digitos. *Verba non movent viros, ſed ſenſus & argumenta.* Hic enim (quem opinatur) *ſolœciſmum Paulo*, inquit, eſt *ſatis familiaris*; imò neque *ſemel* quidem uſurpatus, uti mox patebit. Monendus eſt iterum Lector, pluſquam *trigeſies* in *eodem* capite nexu planè *continuo* Paulum in *primâ* perſonâ loqui, ſed de alio inquit Diſſertator, de *impio*, & *irregenito*, non de Se.

Ille autem 4. aut 5. loca, *hîc illîc ſparſa* ſtudioſè colligit (quod alii ante fecerunt) in quibus eâdem figurâ uſum oſtendit Apoſtolum. Perpendat ut vero Lector & memoriâ teneat quam in ſe ſuſcepit provinciam; *Paulum ſcilicet aliis locis de Se in primâ perſonâ loqui, quæ multum abeſſi, ni viro ſancto conveniant:* Hoc Illi onus incumbit. Conſulamus itaque loca, & vel lippi videant, quam bellè reſpondeant. Primus eſt, 1 Cor. 4. 6. *Hæc autem fratres μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν: i. e.* ſumptâ perſonâ ad me tranſtuli. Quid autem tranſtulit? nempe quod capite primo queſtus eſt, (& Cap. 3° quoad ſenſum repetit) voces illas, quibus partium ſtudioſi in Eccleſiâ Corinthiacâ, tum temporis utebantur, aut earum ſimilibus, Ego *ſum Pauli, ego Apollos*, &c. Hæc autem nomina, ut videtur, non uſurpabant illi qui Schiſmati ſtudebant, ſed eorum ſimilia, quæ reticere voluit Apoſtolus (ne majorem ipſis infamiam conciliaret) ſed *ad Se & Apollos μετεσχημάτισα* traducit: An vero hoc Apoſtolo non licuit? an de ſe aliquid pronuntiavit quod niſi viro impio convenire non poteſt? planè nihil.

Lect. 2. Eſt ad Rom. 3. 7. *Si veritas Dei magis abundavit per meum mendacium ad ejus gloriam, cur ego quoque peccati coarguor?* An verò dicit Apoſtolus Se *mentitum*, vel peccati iſtius de quo loquitur poſſe coargui? dicit vero, *Ego ſum carnalis, venditus ſub peccato*, &c. Scilicet ibi loquitur ex *ſuppoſitione* prava *inimicorum*, non ex *poſitione ſuâ*, uti Textus & ſenſus communis apertè indicat.

Eſt

Eſt 1 Cor. 6. 12, 15. *Omnia* (i. e. *adiaphora*) *mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Quid autem hic dicit, niſi verum? at falſum eſt, ſi Diſſertatori fides, Paulum de ſe loqui, *Ego ſum carnalis*, &c. quod dicit tamen. Sic v. 15. *num ſublata membra Chriſti faciam membra ſcorti? abſit.* i. e. monſtrum hoc Sceleris. Non hoc *de Se* dicit vir Sanctus, imo execratur; dicit vero, *Ego ſum Carnalis.* Eodem ſpectant quæ, ex 1 Cor. 10. profert teſtimonia. Locus ultimus eſt, Gal. 2 18. *Nam ſi quæ deſtruxi rurſus ædifico, tranſgreſſorem me facio!* [redacted] Quis dubitat? nonne verum dicit? nonne idem dicat mortalium ſanctiſſimus? Huc itaque fervidum redit Harmoniſtæ Argumentum contra *frigidum* Paræi: Paulus *quater* aut *quinquies* (in *variis ſparſim* Epiſtolis) in primâ perſonâ de ſe loquitur, quod *veriſſimum eſt*, nec à viro Sancto abhorret, ergo in eodem capite nihil impedit, quò minùs *trigeſies*, & amplius, loquatur in eâdem perſonâ, quod de ſe *falſiſſimum* eſt, & ſoli *impio* convenire poteſt. Hic certè ipſius *rationis humanæ* potius quam verborum Pauli *Metaſchematiſmus* meritò audiat. Lat. 3.

Proxime urgetur à commate 9° χωὶς νόμυ, *vivebam ego aliquando*, vel vivus eram (uti Bezâ & verſio* Anglicana magis ad ſenſum Pauli) *ſine lege.* P. 189. * I was alive.

Locus fateor ſubobſcurus, (in qualibus ludere ſolent Curioſorum ingenia) & ſuo per me ſenſu abundet unuſquiſque, modò ne trahatur ad excludendum Pauli de Se ſermonem; nulla enim hoc poſtulat neceſſitas. Ego quidem (bonâ cum doctiorum

doctiorum veniâ) ad eorum ſententiam accedo, qui non de lege *ſimpliciter*, ſed τῶν τὶ, *i. e.* de lege apud irregeniti Conſcientiam *minimè efficaci*, nec ſenſu quo debuit *intimo* & *ſpirituali* intellecta; hoc enim *æquivalenter* idem eſt, ac *non eſſe* legem; non quod nulla ſit *formaliter*, ſed quod vim ſuam, quaſi reverâ non eſſet, haud exerceat. Certè (præſens quod attinet inſtitutum) de loci ſententiâ non magnopere laborandum videtur, modo, uti diximus, Paulum *de ſe* loqui inconcuſſum tueamur.

Ad illud quod objicitur à Paræo (aliiſque paſſim Reformatis) velle *bonum*, nolle *malum*, *odiſſe peccatum*, non eſt niſi *renatorum*, ergo de ſe loquitur Apoſtolus, concedit Author Harmoniæ de voluntate *vehemente*, *abſolutâ*, & *conſtante*, quam actionem *neceſſariò* poſt ſe trahere *largitur*: aſt Paulum, ait, de *velleitate* loqui, *levique*, & *evanido boni deſiderio*. Sed primò, voluntatem, quamvis *abſolutam*, & *vehementem*, *neceſſario* ſecum trahere actionem, quotidiana refutat experientia. Poteſt enim in tali voluntate impedimenti aliquod intervenire, quo minus ſequatur effectus. Nonne Petrus *abſolutè* & *vehementer* bonum voluit, cum Chriſto dixit, *etſi tecum moriendum eſſet, non abnegabo te?* neque tamen ſecutus eſt effectus, niſi plane contrarius, ob intercurrentes nimirum *Carnis* (de quâ toties loquitur) tentationes. Dicetur fortaſſe ei defuiſſe *conſtantiam*: omnino, & ubi quæſo *ejs patriam* in Cœlis reperienda eſt *indefectibilis* animi conſtantia?

ſtantia? ubi voluntas ita numeris ſuis omnibus *perfecta*, ut nuſquam titubet, nuſquam à bono deflectat? certum eſt homines regenitos, ὡς ὅτι τὸ πολὺ *vehemente* & *abſoluta* voluntate in bonum ferri; nec certum minus, cum ita vel maximè feruntur, *in multis labi*. Ea ſcilicet *concupiſcentiæ* (quâ de ſermonem ibi inſtituit Apoſtolus) Gratiæ *Rivalis*, & ὁμοστέγου perpetua vis eſt. Imo aptiſſimum in homine regenito Paulinum illud de Se exemplum eſt, unde cognoſcatur certiùs, quantum ſit *naturæ* diſſidium cum *Juſtitiâ Legis*, (quod optimè ab eximio Theologo monitum.) Si enim iſta fiant *in viridi arbore*, *quid fiet in aridâ?* Si Paulus ipſe tam inſigne ſanctitatis exemplar de *Carne* queratur *rebelli* adverſus Spiritum, faceſſat omnis de *Operum* Juſtitiâ muſſatio, & potiùs cum Pſalmo harmoniam componamus omnes, *Si tu, Domine obſervaveris iniquitates, quis ſtabit?* Hinc etiam diſcant Cupiditatibus *immerſi*, quæ ſpolia, quos de ipſis triumphos referat iſta *caro* neceſſe eſt, quæ etiam cum Gratiâ in terris *maximâ* Marte experiri audeat, eámque * præliis aſſiduis exerceat.

* *Quod Arrianus in Epictet. Homini potiſſimum vitioſo tribuit, id in hominem regenitum (ex mente Pauli) veriùs quadrabit.* Πᾶν ἁμάρτημα μάχην περιέχει· ἐπεὶ γὰρ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι (*quod de Impiis nunquam dicit Scriptura*) δῆλον ὅτι ὃ μὲν θέλει, οὐ ποιεῖ. l. 2. c. ult. *verba poſtrema eadem cum Paulinis.*

Quod verò Paulum ait de *velleitate* tantum, aut inclinatione ad bonum loqui, non auſim in ejus

ejus ire ſententiam: probare autem exinde nititur, quia *non perficit quod vult*. Ecquis autem mortalium, quicquid *vult* boni perficit? tum nemo ſanè bonus quod malum eſt unquam faceret; atqui facit, idque in horas. Quod ait *velle* & *perficere inter ſe opponi*, non capio; ni forte *ſubordinata* malit *opponi* (hoc autem ſi vult, nunquam ſanè *perficiet.*) Sic enim ſequeretur, perfici opus bonum ſine *voluntate*, cum tamen voluntas ſit omnis actionis moralis *radix* & *principium*. *Velle* itaque & *perficere*, non poſſunt eſſe *oppoſita*. Imo neque *velleitas* ſua (*quà talis*) opponitur actioni; quis enim affirmabit actionem non procedere, quia Petrus hoc vult? *velleitas* autem eſt actio voluntatis, neque hactenus impediet, ſed promovebit effectum, ſi tamen *poſſibilem*. At verò quia languida tantùm, & ſine firmo *conſequendi* propoſito, ideo finem non attingit. Vult Mævius Londini agens Lutetiam ire Pariſiorum, quo ſine Dubrim venit: illic vero itinerum pertæſus, & labante ex ſocordia animo, ſubſiſtit, neque pedem ulteriùs movet. Ecquis jam dicet profectionem iſtam (Dubrim uſque) impedimento fuiſſe, quo minùs totum iter abſolveret? Certe neque idem de voluntate debet, cum parte itineris expeditâ, totius haud devoret laborem. In utroque Caſu effectus quidem minime pertingitur, ſed voluntas *ſimpliciter* non eſt in Cauſa; imo *quouſq;* progreditur, finem promovet. Quinimò ſi *velle* & *perficere oppoſitis* accenſenda, neque Paulus ipſe unquam perficeret bonum;

obſtaret

obſtaret enim (quod mirum eſt) Ipſa *perficiendi voluntas*; cum *oppoſitorum uno dato tollatur alterum*: Apoſtolus, uti ait, diſcrimen ponit inter τὸ θέλειν, & καλὸν κατεργάζεσθαι: quidni autem faceret, quod *omnes ratione utentes* faciunt? At quid interim de *oppoſitione* iſta concluditur? num Illi omne *diſcrimen* ſtatim *oppoſitio* audiet? Quod vero ſupponit Apoſtoli τὸ θέλειν, meram eſſe *velleitatem*, probandum erat; quod cum non fecerit, imo neque attentarit, Totum erit *Petitio Principii*. Cum vero dicit voluntatem *vehementem* atque *abſolutam neceſſariò poſſe ſe actionem trahere*, ſecundarum cogitationum hoc limam poſceret, cum alia ad actionem omnem perficiendam præter nudam voluntatem requiſita conſtat. Voluit Paulus *vehementer*, & *abſolutè* ad Theſſalonicenſes iter facere, (*ſemel atque iterum*, inquit) 1 *Theſ.* 2. 18. neque tamen *perfecit*; non quod defuit voluntas, ſed quod *impediret Satanas*. Ita prorſus habet in Regenitis; *volunt*, imo nihil magis, perficere bonum; ſed impedit *Satanas*, obſtat ſæpe inſidiator Iſte Domi, Peccatum *quod in eis habitat*. Non diſtinguit Author inter voluntatem *vehementem & perfectam* (qualis eſt Sanctorum in Cœlis) quam ſemper actionem ſequi concedimus. Sed alia res eſt Sanctorum voluntas in Terris, tot inter luctas & certamina, quibus ex *inhabitante* peccato jugiter exercetur. Cum autem venerit quod *perfectum* eſt, abolebitur quod imperfectum.

His itaque non obſtantibus Paulus de Se ſine

omni metaſchematiſmo veriſſimè dicat, *Quod volo, bonum non ago.*

Idem quoque eſto judicium (ut cum Harmoniſta loquamur) de Odio illo peccati, cujus meminit Apoſtolus. Odio habet vir Sanctus etiam Opera quæ ſubinde facit mala, proinde non vult voluntate *vehemente* atque *abſolutâ*. Facit quod non vult, *i. e.* ex Hebraiſmo, quod ſummo odio proſequitur, ut cum de Deo dicitur
Pſal. 5. לא אל־חפץ רשע, *non Deus* [*Tu*] *volens iniquitatem*, *i. e.* maximè averſaris. Et quidem per *odium* exponit Apoſt. v. 15. Itaque tritum illud Medeæ, *video meliora proboque*, à viro docto allatum, huc nihil facit; conſtat enim mulierculam iſtam ſceleribus ſuis maximè infamem fuiſſe; & quamvis levi aliquo conſcientiæ ſingultu per intervalla laborabat (quod in flagitioſiſſimis ſubinde reperitur) in iſtam tamen, quam patravit, immanitatem plenis quaſi velis provectam, ex Euripide & Senecâ Tragædo notiſſimum. Hoc vero de Se inficiatur Apoſtolus (& meritò) cum negat *Se eſſe* qui malum iſtud quod minimè vult facit, ſed
Verſ. 19. *peccato in Se habitanti* tribuit. Eſſe *Se* negat, ex parte ſcilicet potiori, ceu (ut vulgò loquimur) *regenitâ*. Ex binis etenim veluti elementis in hac vitâ contemperatur vir Sanctus, *Spiritu* nimirum & *Carne*, Gratiâ, & Peccato habitante; quæ cum *disjunctiſſimis* omnino (& quaſi aſymbolis) ſint ingeniis, quod huic detrahendum, illis deputandum conſtat.

Unde parum movebunt cordatos iſtæ, quæ ſequuntur

quuntur, *ad populum phaleræ*, ubi ſic modulatur Harmoniſta; *Egregiam verò laudem ſic eſſe Regeneratum, ut malum odio habeamus, cum nulla nos perturbatio, nulla appetitus commotio ad id perpetrandum impellit, id vero ſtatim ac mali committendi occaſio ſe obtulit, nóſque ad id impetrandum ſollicitavit aliqua cupiditas, ex animo diligamus.* Totum deſcripſi, ne forte læſæ ſententiæ litem intenderet. Quam verò invidioſa & δεῖνα omnia, utinam de integro expenderet. Quis enim Reformatus vel in ſomnis aſſeruit Regeneratum *ex animo diligere peccatum?* aut quæ, quæſo, verba Paulina hominem probant ibi deſcriptum taliter affectum? P. 192.

Si cum dicit, *quod nolo malum ago*, huc ſcilicet redibit argumentum, *Qui facit quod ex animo odit, ex animo id diligit.*

Sed ita perſona illic deſcripta facit peccatum. Ergo, &c. Nulla eſt talis Dialecticæ contrectatio. An Origenes cum perſecutione Deciana animo concidens thura Idolis adolevit (* ſi tamen iſta boni commatis ſit Hiſtoria) factum ex animo dilexit? aut ut propius paullò accedamus, cum Petrus ter abnegavit Dominum, an triſte facinus ex animo dilexiſſe dicet? cum vero de peccato *inhabitante* tam contemptim loquitur, ut apud eum *aliqua* tantum *cupiditas* audiat, hortatur ut peccati iſtius maximè horrendi (reliquorum omnium fontis perpetuò ebullientis) naturam pleniùs ediſceret.

* *Euſebius de hoc lapſu nil memi vit, & vide ſis Huetium Præfat. in Comment. Orig. l. 1. c. 4. num. 4.*

Quod interrogat poſtremò, *Quis neſcit hoc*

malè odium non rarò etiam in pessimis reperiri? Nos contra, Quis ulli unquam tali effato fidem faciet? Scripturas passim reclamare constat.

P. 194. Instat ulteriùs contra quem disputat Adversarius, quod *consentire Legi Dei, & in eâ delectari sit Renatorum proprium.* Hoc autem personæ Isti *Rom.* 7. tribuitur, Ergo Paulus de Se loquitur.

Respondet Author Harmoniæ *consensum Legi Divinæ præbitum regenitis cum irregenitis communem esse*; probátque quòd aliàs *nullum esset peccatum contra dictamen conscientiæ.* Hoc autem si de omni consensu (ceu potiùs *assensu*) loquitur, inculpata erit consequentia. Interim tamen haud ita *festinandum* censemus. Nam etsi minimè negant Reformati (imò nec ulli, qui sensus communis beneficio utuntur) *aliqualem* Impiis inesse Legi consensum, diversissimum tamen agnoscunt in *Regenitis*; quod *gnarum* & *amantem veritatis* in Re tantâ celare haud quaquam decuit. Hoc enim est omnia *perturbare.* Piorum consensus cum *delectatione* conjungitur, Impiorum cum *horrore* & tristitiâ. *Delector Lege Dei*, inquit consentiens Paulus; συνήδομαι autem Paulo dignius aliquid sonat, quam nudum σύμφημι (neque voces istas ante Harmonistam probatus author Græcus confudit unquam.) Consentit vir bonus Legi, quod *bona* sit, idque secundum omnem bonitatis dimensionem, *honesta, utilis, jucunda*; consentit Impius non tam ob *bonitatem*, (certè non aut *utilem*, aut *jucundam*) sed ob *authoritatem*, qualémque nequaquam se posse effugere persuasum sub-

ſubinde habeat. *Amat* Ille, hic *timet* Legem. Hinc & præcipuè ſurda illa quibuſcum (ſudore diffluente) luctatur Impius, conſcientiæ verbera, ex *ſupplicio*, quod ut Damocli gladium, Capiti imminere ſentit; vel, ut Apoſtolus, ab *horrenda quadam expectatione judicii*, non autem ex *pulchritudine* & *præſtantiâ* Legis, quam in deliciis habere debet, & Pii habent. Hic videmus *diſtingui* oportuiſſe *conſenſum*, ſi Lucem (quod ſpero) meditetur Author, non tenebras. Heb. 10.

Hinc autem exibit Solutio ad ea quæ contra *delectationem* in Lege à Paulo, tanquam de S E, diſſertantur, *p.* 195. Abſit eum putemus diſtinguere neſcire inter Delectationem *Piorum*, *ſolidam* illam, ac ſpiritualem, eámque *Impiorum*, & Hypocritarum, quam *ſpinarum* faſciculo in flammis crepitanti Scriptura confert, & ab alterâ diligenter ſecernit, ut cum gaudium *ineffabile* & *plenum gloriæ*, & quale Homini regenito eripere nemo queat; Gaudium inter *tribulationes*, & ſeculi præſentis incommoda creſcens (uti Roſa inter Spinas) deſcribit, *&c.* ita ut iſtis immorari nihil ſit neceſſe. 1 Pet. 1. 8. Jak. 1. 2, 12. Rom. 5. 5.

Quod de homine *interiore* & novo tanquam adeo diverſis, arguit, in eo magni nominis Theologos ſibi adverſantes neſcire non poteſt. Eum certè *interiorem* hominem (quicunque demum fuerit) *carni* opponit Apoſtolus, & *legi in membris*, v. 18, 22, 23. Per *Carnem* autem ſæpiſſime *totam hominis naturam*, *quâ depravatam*, ex primo lapſu, intelligi in Scripturis, qui illas ſeriò & reverenter P. 196.

verenter consulit, vix in dubium vocare poterit. *Quod genitum ex carne, caro* est; quid ista caro nisi *labes illa universalis*, per primi lapsus contagium ex traduce derivata? non enim opinor hoc solum voluisse Dominum, quòd substantia corporea (sive *carnea*) generat *corpoream*: sed quod *peccator* peccatorem. Quid autem est *Spiritus*, nisi novæ creaturæ *Parens?* quidni itaque sit homo ille *interior*, idem cum *Regenito?* Frustra autem erit, si per *membra* hoc loco intelligat tantùm *corporea*. Sic enim metonymicè dicuntur *cupiditates* quæcunque legi contrariæ, quarum veluti *corpus* est peccatum *originale*, cum eis utatur quasi corporis membrorúmve ministerio. Hinc *homo vetus* corruptio dicitur, & *Gratia* renovans *homo novus*; quibus, ut corpori, membra proportionata per similitudinem aptat Apostolus: neque hoc differri videtur Author Harmoniæ, *p.* 197. negat tantùm *veteris* hominis reliquias in *renatis* veterem dici hominem, quin potius Corpus peccati *completum* cum omnibus & integris suis membris. De eo satis convenit, modò haud inficietur istas quoque reliquias simul sumptas totum esse corpus peccati *habitantis* semper in Fidelibus: non quod ullum in eis *regnet* peccatum, sed quod *fomes* & *radix* omnium in illis (ut diximus ex mente Apostoli) *habitet* & *hæreat*. Nam (ut hoc obiter adjiciam) si in renatis penitus aboleretur istud peccatum *originale*, non video *unde* oriretur *actuale*; *rivus* scilicet *sine fonte*. Hoc autem si res postularet

pluribus

pluribus (ut opinor) facile manifestum fieret.

Probanda interim non est Harmonistæ Expositio de Luctatoribus istis, *v.* 23, quos statuit *Appetitum sensitivum*, *& Rationem sive Intellectum, cognitione Legis imbutum*. Neque prorsus ignari sumus, unde hoc Interpretamenti hauserit, quod utinam à matre potius Ecclesiâ Anglicanâ reliquísque Reformatis mutuam accepisset. Pravum & effrænem, uti videtur, habemus *appetitum*, sed rationem indubiè *Angelicam*, quæ in edomando sibi *appetitu* tota occupatur. Longe aliter Scriptura, quæ Rationem omnem *irregenitam* in pravos affectus non modò non hostili facit animo, quin cum eis adversus *Legem Dei* in Societatem *rebellionis* ultro venire moneat. Si hanc audimus, quid aliud Intellectus Appetitui, quam Arbiter & Oeconomus Libidinum? τῆς σαρκὸς πρόνοιαν ποιούμενος εἰς ἐπιθυμίας, Rom. 13. ult. Quid nisi *cæcitas*, *& tenebræ?* cui quæ Dei sunt, stultitia sunt, *&c.* Caro itaque, maximè cum in irregenitis, opponitur *Spiritui*, (sive Legi Spirituali) non Appetitum modo inferiorem (quem τὸ θῆλυ, & θηριῶδες appellare solent Stoici) sed *totam* naturæ *corruptæ* massam designat, tum ex Animâ *Sensitivâ*, tum *Intellectivâ* conflatam: *Tota* siquidem *ex Se* pugnat cum Lege Dei, cum tota sit *corrupta*. Mallem ista quidem de misellâ ratione nostrâ ex Ethnico Pythagora audire in Carmine (si tamen is Author fuerit)

Fph. 5. 8. & 4. 18. 1 Cor. 2. 14.

Ἡνιόχου γνώμην στίσας καθυπερθὲν ἀείστην.

Nullum

Nullam Ille Affectuum *Antigam* ratione aut fideliorem, aut ſolertiorem novit. Verum aliter, puto, Philoſophandum eſt *Chriſtianis* (quanquam iſti quoque rationis *umbra* ſuus apud Illos quantuluſcunque ſuo loco conſtet honos.) *Quid paleæ cum Tritico?* Scrutemur Scripturas, & caveamus, ne *Rebelles* inveniamur adverſus Lucem.

Magnum vero aliquid addidiſſe ſibi viſus eſt fortaſſe Diſſertator, ſi Rationem *cognitione Legis imbutam* intelligere ſe moneat: quaſi nuda Legis *cognitio* in Irregenitis (nam de his ſemper loquitur) talia in Ipſis mira efficeret; cum Apoſtolus ad *malum* potiùs (*ſuâ Ipſorum pravitate*) irritare docuit, Rom. 7. 8. Gujus etiam triſte nimis habemus documentum in Populo *Judaico*; quos, non obſtante quam habuerunt *Lege*, * in *os* Ipſi obloquutos legimus, eámque horrendum in modum perpetuò violaſſe: quod etiam Deum ſeveriſſimè ultum ad hunc uſque diem certò novimus. Scrutemur, inquam, Scripturas, adeóque noſtra Ipſorum *corda*, ſi his in Rebus ſapere velimus.

* *Jer.* 44. 16, 17.

Ad quintam quod attinet Adverſariorum objectionem, cum de quo loquitur Paulus *ingemiſcere* de ſuâ miſeriâ, ob vim peccati *deſiderare liberationem*, *agnoſcere* & *celebrare gratiam Dei per Chriſtum*, non eſſe niſi Renatorum; reſpondet iſta ita non officere, ut *apertiſſimè* potius ſuam confirment ſententiam. Vix equidem credo; ſed quomodo probatum dabit, nedum *apertiſſimè*, ſcire unquam poſſe deſpero. Quomodo inquam

aper-

apertiſſimè confirmant? (nollemus enim in apertâ luce cæcutire:) Apoſtolus ſcilicet, v. 24. *addit exclamationem homini qualem antea deſcripſerat*, i. e. irregenito, *convenientem.* Quid ſequitur? Ergo ſcilicet regenito iſta convenire nequeunt. Negamus conſequentiam; multa enim communia habent regeniti cum irregenitis, etſi *quâ* tales, & *in ſpecie*, nihil. An homini regenito conſentaneum non judicat Ds Harmoniſta, *ingemiſcere ob peccata, deſiderare liberationem?* &c. Abſit. Ubi itaque eſt *confirmatio* illa *apertiſſima?* Suſpenſi tenemur. Sed quæ mihi videtur tota hoc ſyllogiſmo continetur,

Qui ea facit, aut dicit, quæ homini plane regenito poſſunt convenire (imò & ſemper conveniunt) *Is pro irregenito habendus eſt:*

Ita deſcriptus, *Rom.* 7. Ergo.

Sed huc certe recidit *apertiſſima* ſententiæ ſuæ confirmatio: & *ſic tandem à Scipione Africano confirmatam legimus Carthaginem.*

Nec hilum juvabit prætextus hujuſmodi ficulneus, *poſſe* nimirum quæ in prima perſonâ eo loci dicuntur, ad hominem irregenitum accomodari (nam eodem ſenſu *de facto* convenire nunquam probabit.) Neque 2° Domus ulla extructa eſt unquam *poſſibilitatibus iſtis generalibus.* Verbo, *à potentia ad actum affirmativè non valet argumentum. Poſſunt* iſta πῶς, & cum limitatione, convenire irregenito; non ſequitur, ergo *conveniunt.* Sed ne forte prædictum ſyllogiſmum, ut invidioſum, arguat, (qui tamen univerſam continet

Argumenti ſui ſubſtantiam) in hanc, ſi lubet, formam variabimus.

Perſona à Paulo deſcripta ingemiſcit de peccatis, &c.
Vir aliquis irregenitus ingemiſcit de peccatis.
Ergo irregenitus aliquis eſt ea perſona.

Hîc (uti novit) duplex habemus vitium in ſecundâ Figurâ, *Propoſitionem* ſcilicet *particularem*, & præmiſſarum *utramque affirmantem*, unde ſanum nihil in concluſione ſperandum. Nulla hactenus *apertiſſima confirmatio.*

Prætereundum verò non eſt quod ab Harmoniſtâ ingeritur, v. 2. εὐχαριστίαν illam, v. 25. Homini irregenito bene convenire [Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum, &c.] ſed paullo poſt corrigit ſententiam cum mirâ ſuâ (nec ſua tamen) παρενθήκῃ ad Paulum regenitum transferendâ eorum quæ ante *fidens* poſuerat prorſus *everſoriâ*. Sed de hoc plura ad finem.

Quid verò dicendum ad argumentum iſtud *invictiſſimum*, uti vocat, quod in hoc ſyllogiſmo triumphat;

Status Hominis in hoc cap. deſcripti eſt ſtatus miſeriæ, peccati, mortis, à quo, quicunque Chriſti ſunt, liberantur.

At ſtatus Renatorum non eſt hujuſmodi, ergo, &c.

Occidimus! *aures pepulit Mavors noſtras.*

——ἀλλ' οὐκ ἔστι βίῃ φρεσὶν, οὐδὲ τις ἀλκὴ.

Tota

Tota Propoſitio nil aliud eſt quàm *Petitio Principii*, ſumit enim pro *conceſſo* (ſicque tenebras offundit Lectori) quod novit Adverſarium minimè concedere, imò *ex profeſſo* contrà luctari. Nos ita meliùs arguimus ex mente Ipſius Pauli, ut cuilibet probè attendenti conſtabit,

Status Liberationis à ſtatu Peccati, Mortis, & Miſeriæ, non eſt ſtatus Hominis Irregeniti,
Talis eſt ſtatus perſonæ ibi deſcriptæ, viz. à comm. 14.
Ergo *ibi deſcriptus non eſt Homo Irregenitus.*

Minorem ex parte fatetur *Ipſe*, ex verſu nimirum ultimo, cui proinde miram paravit ἀντίθεσιν, quanquam aliunde mutuam. P. 199.

Quod de Statu *Miſeriæ, Peccati, Mortis habet*, aſſentiri multa vetant. Nihil enim toto iſto capà comm. 14. eum quem ibi deſcribit Apoſtolus in *tali* ſtatu eſſe æternum probabit.

An negabit Ipſe *ſe peccatorem eſſe?* iſto etiam nomine *miſerum*, & *mortem* quoque in ſtatu *quo eſt*, indies, imò & *in horas* commeritum? (Ego certè de me *miſero peccatore* negare iſta non auſim.) An vero ſequetur eum *in ſtatu Peccati, Miſeriæ*, & *Mortis* eſſe? Abſit. Diſtinguendus erat Peccati ſtatus & *Miſeriæ*, à Peccati & conſequentis Miſeriæ *Reliquiis* (quæ ſtatum quidem *Imperfectionis*, non proprie Peccati faciunt) quibus qui ſe non ſentit laborare, Angelum ſe aut Sanctum Cælitem glorietur. In hoc itaque ſuæ ſaltem parcat modeſtiæ.

Quod autem ad Pauli εὐχαριστίαν ſive *gratiarum actionem*, comm. ult. notavit, minime prætereundum reor. Quid enim illic agit? nempe *victas dat manus*. Nunc ſiquidem depoſitâ *larvâ* & inani *nomine*, quaſi ἀναβιώσαν (ceu ex mortuo redivivum) *En ipſum revera Paulum!* unde verò tam improvitò nobis vir Sanctus adeſt? nimirum latuit poſt *proſcenium*, aut Authoris potius παρένθεσιν (ſive parentheſin) quam piget refellere. Verùm nulla ſors longa eſt; nam quaſi intraſſet Paulus (cum omni Reverentiâ dictum eſto) *tantum ut exiret*, qui initio verſus, velut ἀπὸ μηχανῆς, apparuit, in fine evaneſcit, eſtque idem (neſcio quis) Paulus qui antea fuerat, ſi Diſſertatori fides. Quin illico tamen cap. 8. v. 2. (uno ſcilicet tantum interjecto commate) rurſus eſt *Ipſe Paulus*, non *perſona*. Hoc certè plus eſt quàm torquere *Textum*, torquet enim ipſum textus *Authorem*, ultrò citróque *agitatum*, quin & à ſeipſo *diſtractum*, ita ut ubi quieſcat vir Sanctus, aut Ipſe *Ipſe* audiat, (tanquam Soſias in Fabulâ Plautinâ) vix inveniat.

Porrò de objecto Adverſariorum ex capitis concluſione [& quaſi totius *Breviario*] deſumptum, notentur verba, quæ hæc ſunt. Ἄρα γε αὐτὸς ἐγὼ, *Igitur Ego Ipſe, mente quidem ſervio legi Dei, carne vero legi peccati.* Hic enim non amplius eſt ἐγὼ tantùm (ſicut in locis omnibus præcedaneis) ſed adjecta demonſtrativi pronominis Emphaſi, αὐτὸς ἐγὼ, *Ipſe Ego*, quod certè de conſilio Spiritus Sancti, eóque *ſpeciali*, factum arbitror,

quò

quo res (modò tamen hominibus *placeret*) extra omnem *controverſiæ* aleam poneretur. Hoc totum tamen à Diſſertatore nullum aliud impetravit Elogium, quam *leviculæ Grammaticalis ineptiæ*, in qua tamen *ineptiâ* ſuâ falſum eſſe Paræum contendit. Non enim, inquit, neceſſe eſt ut αὐτὸς ἐγὼ *reddatur*, *Ipſe Ego*, *cum meliùs verti poſſit*, *Ille ego*.

Sed primò, nunquam (opinor) extra *fabulam* aut Drama reperietur αὐτὸς ἐγὼ, de alia perſona dici, (imò neque *Ille Ego* initio Æneid.) nec metaſchematiſmus ſuus Harmoniſtæ noſtro hactenus ſucceſſit, uti paulo ante demonſtravimus.

Nec ſecundò, vel unum poſſe afferri exemplum credo, ſive in *fabulâ*, ſive *extra*, in quo αὐτὸς ἐγὼ reddendum ſit *ille ego*, non autem *ego ipſe*. Fateor mihi nullum omnino ſuccurrere. Nam & pari quidem jure, vertantur ἐμαυτῷ, ἐμαυτῷ *mei illius*, *mihi illi*, ſono auribus Latinis nec uſitato, nec admodum jucundo. Imo ſi *ille ego* vertendum eſſet, multo (pace ſuâ) ſignificantiùs, & à *ſolæco* ſecuriùs dixiſſet Apoſtolus, ἐκεῖνος ἐγὼ.

Sed ne *leviculis*, uti vocat, *ineptiis*, & *tricis Grammaticalibus* nimium immorari videamur, ad coronidem feſtino. Si hanc ſaltem de Paulo ibi Regenito ſententiam ex *Abſurditatum planè palpabilium* Barathro extraximus; quod recepimus, juvante Deo præſtitimus: Quod ſi cauſam quoque obtinuimus, univerſa corruit HARMONIÆ fabrica, pronuntiante Ipſo ad Fin. cap. 9. De hoc autem æqui judicent & cordati Lectores.

Finem

Finem facio cum Voto (ὡς μάλ' ἀζήλῳ) ut Ecclesiæ nostræ Anglicanæ suus semper constet honos integer & illibatus, utque tali fælices Matre ab ejus obsequio nunquam desciscamus Filii, ejus immoti colamus Fidem, quæ etiam SEMEL *tradita est Sanctis:* ut cuncta præ *magnis Dei veritatibus* ejusque *mandatis* minimi habeamus; satis esse reputantes vel *quicquid* esse in hoc mundo (*jacente in maligno*) modo ILLI Rationem *cum gaudio* (ô quali futuro!) non cum tristitiâ (omnium *atrocissimâ*) aliquando reddamus. Isque qui vel nictu oculi potest omnia, ratum jubeat hoc Votum, propter viscera misericordiæ suæ, dulcissimique SALVATORIS Merita. AMEN.

LAVS omnis TRIVNI DEO.

Syllabus Materiarum in Dissertatiunculâ.

HArmonistæ præcipitantia Sententiam Suæ adversam Absurditatibus planè palpabilibus laborare pronuntiantis. Pag. 1.

PELAGIUS Illi favet. p. 2.

Post exortum Pelagium Augustinus & Hieronymus Harmonistæ adversantur. Hilarius quoque Nazianzenus, & multi noti Doctores ante Augustinum (Ipso referente) p. 4.

De Origene, Chrysostomo, Theodoreto, cur aliter senserint ratio probabilis affertur. p. 4, 5.

Aquinas noster est, Salmero, Pererius, A Lapide, Estius, & Ipse Catechismus TRIDENTINUS. p. 5, 6.

Ecclesia ANGLICANA iterum contra Harmonistam. p. 7, 8, 9.

Sententiam nostram Apostolo ἀπροσδιόνυσον impingere incassum jactat Harm. Author. p. 9. ad 13.

Mutatio Temporis probat Paulum de Se semper loqui. p. 14.

Aliud Carnalem esse ex parte, *aliud secundum Carnem ambulare.* p. 15.

Locutio Illa [venditus sub peccato] *Harmonistæ nil prodest.* p. 16, 17.

Metaschematismi *sui languor.* p. 17, 18, 19.

De Clausulâ Istâ, quod volo non ago, &c. p. 20, ad 27.

De Homine interiore, & novo. p. 27, ad 30.

Mira Harmonistæ Argumentatio ex Vers. 24, 25. p. 31, &c.

Παρενθήκης *suæ,* (*v. ult.*) *vanitas.* p. 34, 35.

FINIS.